divisionem eorum qui visi fuerant sibi mutuò conjunctissimi. Clarum hujus rei exemplum exstat in parabolâ illâ decem virginum, Matth. 25, v. 1.

Vers. 35. — In unum, id est, simul.

Una assumetur, non rejicietur à regno Dei, vel femina, vel conditio aliqua servilis, tametsi scribæ servos et feminas in numero eorum non censeant, qui congregationem Israel faciunt.

Altera relinquetur. Nulla conditio hominum singulariter vel exclusa vel ad salutem excepta erit; sed ut ex singulorum animantium generibus, quædam in arcam assumpta sunt ut servarentur, alia in terrâ relicta ut diluvio perirent; sic fiet et in conditionibus vitæ hominum. Non itaque hic significatur ubicumque duo sub novissimum diem simul futuri sunt, eorum alterum servandum, alterum exitio relinquendum, aut quòd necesse erit, quicumque inter se conjuncti fuerint, ita divelli, (fieri enim poterit, ut aut serventur aut pereant ambo) sed significatur inprimis quod diximus, non omnes qui unius erunt conditionis vitæ, pariter aut servandos aut reprobandos, verbi gratiâ, liberos divitesque non servandos omnes nec omnes reprobandos, similiter neque servos et pauperes, sed ex omni statu et conditione etiam vilissimâ, alios servandos, alios perituros, quemadmodùm nunc in omni statu sunt boni et mali, et in omni conditione ac gradu optimis admixti sunt pessimi. Significatur deinde nec societatis tunc habendam esse rationem ut serveris, si ipse malus fueris; neque ut perdaris, si bonus; socios non ideò quia communi necessitudine conjuncti sunt paris fore tunc sortis, sed, citra omnem commiserationem, separandos subitò à se mutuò etiam conjunctissimos, si discrepent meritis, dolore maximè deplorabili eorum qui relinquentur: quemadmodùm Noe, non soli filii vel nurus erant, verùm etiam alii multi, parentes, consanguinei, cognati, socii, necessarii, qui relicti fuerunt omnes, quia Noe monita secuti non fuerant. Nemo igitur socium expectet ut Deo serviat, sed quisque pro se omni vinculo solutus et expeditus celeriter currat. Significatur postremò, tam piis et electis incognitam fore diem illam et horam, quàm reprobis. Nam si præcognita foret, nemo tunc agrum coleret, aut molæ circumagendæ vacaret, aut aliud simile ageret, quod non tam ad præsentem, quàm ad futurum vitæ mortalis usum destinatur, quod cùm non serviat nisi futuris vitæ mortalis necessitatibus, ab eâ die deinde necessarium esse non potest. Docet igitur, non ex eo fore, quòd ex paribus alii præ aliis assumentur quòd hi præ illis majorem notitiam obtinebunt illius diei, vel horæ (declarabit enim opus ipsum eorum, quòd eâ justè horâ judicem nec ipsi expectaverant), sed intelligendum relinquit, discrimen ex eo fore, quòd alii futuri sunt similes ipsi Noe, alii coætaneis Noe, quos mox descripserat. Hi perierunt, ut dictum est, quia futurum diluvium non credentes aut certè non expectantes, non se parârunt, ut iram Dei possent effugere: Noe servatus est, quia credidit Deo comminanti, et, quanquàm nesciret determinatum diluvii diem, paravit se tamen modis omnibus ut evadere posset quando Deo placeret immittere. Sic in fine seculi relinquentur qui futurum judicium non credentes aut certè non expectantes, non vigilaverint, neque se paraverint; assumentur autem qui vigilaverint, et in officio permanentes paratos se semper tenuerint ad eum diem quandocumque tandem afforet.

Duo in agro, etc. Hoc plerique Latini libri legunt, suffragantibus quibusdam Græcis, editione Syriacâ, et enarratoribus Ambrosio ac Bedâ. Porrò quidam Latini libri omittunt. Verisimile est hunc versiculum, Lucæ ex Matthæo fuisse adscriptum, quemadmodùm Matthæo ex Lucâ, similem versiculum de duobus in lecto.

Vers. 26. — Respondentes, auditis subjicientes, scilicet discipuli ex v. 22.

Illi, Jesu.

Ubi, pro *quò*, scilicet assumentur, quod subaudiunt Theophylactus et Euthymius. Hoc ambiguè significat motum in loco et motum ad locum, itaque verti potest et *ubi* et *quò*. Huic loco congruit *quò*, quod significat motum ad locum; non enim quærunt discipuli, ubi relinquendi sint qui relinquentur; non dubium erat quin illi relinquendi essent, ubi inventi, in terrâ scilicet; sed quærunt, quò assumentur ii quos Jesus dixerat assumendos.

Vers. 37. — Corpus, *cadaver*, interprete Matthæo. Sensus est, in aera, ad me venientem in nubibus cœli, assumentur; *rapientur in nubibus obviàm Christo in aera, ut semper cum Domino sint*, 1 Thess. 4, v. 16, nec assumentur aut rapientur inviti, sed tali aviditate ad me convolabunt, quali aquilæ ad cadaver, quippe qui ipsis futurus sim, quod aquilis cadaver, deliciæ, inquam, atque æternæ felicitatis pabulum, beatitudo æterna et summum bonum. Itaque et advolaturi dicuntur electi ad Christum, et assumendi; advolaturi, quia agilitate prædita erunt corpora eorum gloriosa; assumendi, quia Dei donum erit illa agilitas, quanquàm nec deerit angelorum ministerium, non quidem necessitatis, sed honoris causâ.

Aquilæ carnivoræ sunt, ac proinde mox convolant ad cadaver, si quod visu aut olfactu percipiant, *quod etiam trans maria eas sentire* testatur Hieronymus hoc loco. Videri possit Jesus sententiam hanc sumpsisse ex libro Job, cap. 39, v. 33, ubi de aquilæ naturâ disserens Deus, tandem ait: *Et ubicumque cadaver fuerit* (sive, ut ad verbum Hebraicè est, *occisi fuerint*), *statim adest;* quanquàm alii Hebræorum proverbium fuisse arbitrantur, quo significârint, haud magno studio esse opus, ad conjungendum ea quæ naturâ suâ conjunguntur. Ne fulguris similitudo à Jesu allata præberet apostolis occasionem apud se cogitandi: Quid nobis proderit adventus ille tuus manifestus totique mundo è cœlo et nubibus conspicuus, si non apparebis nisi fulguris instar, cujus apparitio momentanea est; quàm citò apparet, tam citò præterit; quàm citò revelatur, tam citò latet, et quantùmcumque parvo tempore appareat, ut est terribile, omnes illud

videre refugiunt; addit aliam similitudinem Jesus, quâ docet se electis suis non terribilem appariturum, sed amabilem, nec momento solùm uno, sed sic ut ad ipsum accedere et conjungi ipsoque frui possint. Quemadmodùm, inquit, aquilæ naturali instinctu atque impetu feruntur et conveniunt undique ad cadaver, ut ad escam suam suavissimam ac delicatissimam, quod alioqui non invitatas, ipso odore suo ad se allicit, immensis etiam terrarum spatiis et maris fluctibus separatas nec illæ illud deserunt quamdiù restat ex eo quo pascantur; ita vos electi mei, è morte redivivi, et ut aquilæ juventute renovati, simul atque in nubibus apparuero, mox sentientes virtutem præsentiæ adventûs mei, ad me tanquàm vitam æternam et summum bonum vestrum, undique ex omnibus mundi partibus, spontè maximoque desiderio ac summo animi affectu anhelantes convolabitis, ut me æternùm fruamini et saturemini, nihil impediti altâ cœli nubiumque à terrâ distantiâ. Hoc est quod Apostolus dicit, 1 Thessal. 4, v. 16: *Rapiemur in nubibus obviàm Christo in aera, et sic semper cum Domino erimus.* Cadaveri se comparat Christus, propter mortem (cujus signa, cicatrices, inquam, vulnerum, feret judicaturus) quippe quæ electis fons est omnis boni æternæque salutis, quòd Christo Deo et homine æternùm frui ipsis detur. Aquilis verò electos assimilat pro more Scripturæ, potiùs quàm vulturibus aut corvis, qui et ipsi cadaveribus pascuntur: quòd regium et magnificum animal aquila sit, quòd *in arduis ponat nidum suum*, Job. 39, v. 30, quod altissimè simul et velocissimè atque expeditissimè volet, Isa. 40, v. 31, quòd ita oculata sit, ut intrepidâ acie solem intueatur, denique quòd senex ætate renovetur et longævam ducat vitam, psal. 102, v. 5. His enim similes electi, qui regio animo voluptatibus imperârint, et terrenis despectis conversatione in cœlis fuerint, Christo ad judicium veniente resument corpora dotata immortalitate simul et agilitate; et ad sedentem in nubibus cœli, quem acutissimis fidei oculis mox intuebuntur et cognoscent, admirabili velocitate promptitudineque volabunt. Quòd verò electos solos, non autem omnes homines, Jesus aquilis comparet manifestum est, quia reprobi non aggregabuntur Christo sedenti in nubibus, sed relinquentur in terrâ, nec spontè ferentur ad Christum, sicut aquilæ ad cadaver, sed inviti cogentur ad locum judicii ut malè sibi conscii, audituri in terrâ Christi è nubibus adversùs ipsos sententiam.

CAPUT XVIII.

1. Dicebat autem et parabolam ad illos, quoniam oportet semper orare, et non deficere:

2. Dicens: Judex quidam erat in quâdam civitate, qui Deum non timebat, et hominem non reverebatur.

3. Vidua autem quædam erat in civitate illâ, et veniebat ad eum, dicens: Vindica me de adversario meo.

4. Et nolebat per multum tempus. Post hæc autem dixit intra se: Etsi Deum non timeo, nec hominem revereor:

5. Tamen quia molesta est mihi hæc vidua, vindicabo illam, ne in novissimo veniens suggillet me.

6. Ait autem Dominus: Audite quid judex iniquitatis dicit:

7. Deus autem non faciet vindictam electorum suorum clamantium ad se die ac nocte, et patientiam habebit in illis?

8. Dico vobis, quia citò faciet vindictam illorum. Verùmtamen Filius hominis veniens, putas, inveniet fidem in terrâ?

9. Dixit autem et ad quosdam qui in se confidebant tanquàm justi, et aspernabantur cæteros, parabolam istam:

10. Duo homines ascenderunt in templum, ut orarent: unus Pharisæus, et alter publicanus.

11. Pharisæus stans, hæc apud se orabat: Deus, gratias ago tibi, quia non sum sicut cæteri hominum, raptores, injusti, adulteri, velut etiam hic publicanus.

12. Jejuno bis in sabbato: decimas do omnium quæ possideo.

13. Et publicanus à longè stans, nolebat nec oculos ad cœlum levare; sed percutiebat pectus suum, dicens: Deus, propitius esto mihi peccatori.

CHAPITRE XVIII.

1. Il leur dit cette parabole, pour montrer qu'il faut toujours prier, et ne se lasser jamais.

2. Il y avait, dit-il, dans une certaine ville un juge qui ne craignait point Dieu, et qui ne se souciait point des hommes.

3. Et il y avait aussi dans cette même ville une veuve qui venait vers lui, en lui disant: Faites-moi justice de ma partie.

4. Et il fut long-temps sans vouloir le faire; mais enfin il dit en lui-même: Quoique je ne craigne point Dieu, et que je ne me soucie point des hommes,

5. Néanmoins parce que cette veuve m'importune, je lui ferai justice, de peur qu'à la fin elle ne vienne me faire quelque affront.

6. Vous voyez, ajouta le Seigneur, ce que dit ce juge inique.

7. Et Dieu ne fera pas justice à ses élus, qui crient à lui jour et nuit, et il souffrira toujours qu'on les opprime?

8. Je vous dis qu'il ne tardera pas à les venger. Mais pensez-vous que le Fils de l'homme, lorsqu'il viendra, trouve de la foi sur la terre?

9. Il dit ensuite cette parabole, pour quelques personnes qui, se flattant d'être justes, mettaient leur confiance en eux-mêmes, et méprisaient les autres:

10. Deux hommes montèrent au temple pour prier; l'un était pharisien, et l'autre publicain.

11. Le pharisien se tenant debout, priait en lui-même: O Dieu! je vous rends grâces de ce que je ne suis point comme le reste des hommes, qui sont voleurs, injustes et adultères; ni même comme ce publicain.

12. Je jeûne deux fois la semaine: je donne la dîme de tout ce que je possède.

13. Le publicain, au contraire, se tenant éloigné, n'osait pas même lever les yeux au ciel; mais il frappait sa poitrine, en disant: Mon Dieu, ayez pitié de moi, qui suis un pécheur.

14. Dico vobis, descendit hic justificatus in domum suam ab illo; quia omnis qui se exaltat, humiliabitur; et qui se humiliat, exaltabitur.

15. Afferebant autem ad illum et infantes, ut eos tangeret. Quod cùm viderent discipuli, increpabant illos.

16. Jesus autem convocans illos, dixit: Sinite pueros venire ad me, et nolite vetare eos; talium est enim regnum Dei.

17. Amen dico vobis, quicumque non acceperit regnum Dei sicut puer, non intrabit in illud.

18. Et interrogavit eum quidam princeps, dicens: Magister bone, quid faciens vitam æternam possidebo?

19. Dixit autem ei Jesus: Quid me dicis bonum? nemo bonus nisi solus Deus.

20. Mandata nòsti: Non occides: Non mœchaberis: Non furtum facies: Non falsum testimonium dices: Honora patrem tuum et matrem.

21. Qui ait: Hæc omnia custodivi à juventute meâ.

22. Quo audito, Jesus ait ei: Adhuc unum tibi deest: omnia quæcumque habes, vende, et da pauperibus; et habebis thesaurum in cœlo; et veni, sequere me.

23. His ille auditis, contristatus est, quia dives erat valdè.

24. Videns autem Jesus illum tristem factum, dixit: Quàm difficilè qui pecunias habent in regnum Dei intrabunt!

25. Facilius est enim camelum per foramen acûs transire, quàm divitem intrare in regnum Dei.

26. Et dixerunt qui audiebant: Et quis potest salvus fieri?

27. Ait illis: Quæ impossibilia sunt apud homines, possibilia sunt apud Deum.

28. Ait autem Petrus: Ecce nos dimisimus omnia, et secuti sumus te.

29. Qui dixit eis: Amen dico vobis, nemo est qui reliquit domum, aut parentes, aut fratres, aut uxorem, aut filios, propter regnum Dei,

30. Et non recipiat multò plura in hoc tempore, et in seculo venturo vitam æternam.

31. Assumpsit autem Jesus duodecim, et ait illis: Ecce ascendimus Jerosolymam, et consummabuntur omnia quæ scripta sunt per prophetas de Filio hominis.

32. Tradetur enim gentibus, et illudetur, et flagellabitur, et conspuetur:

33. Et postquàm flagellaverint, occident eum, et tertiâ die resurget.

34. Et ipsi nihil horum intellexerunt, et erat verbum istud, absconditum ab eis, et non intelligebant quæ dicebantur.

35. Factum est autem, cùm appropinquaret Jericho, cæcus quidam sedebat secus viam, mendicans.

36. Et cùm audiret turbam prætereuntem, interrogabat quid hoc esset.

37. Dixerunt autem ei, quòd Jesus Nazarenus transiret.

14. Je vous déclare que celui-ci s'en retourna chez lui justifié, et non pas l'autre; car quiconque s'élève, sera abaissé, et quiconque s'abaisse, sera élevé.

15. On lui présentait aussi de petits enfants, afin qu'il les touchât; ce que voyant ses disciples, ils les repoussaient avec des paroles rudes.

16. Mais Jésus appelant ces enfants, dit: Laissez venir à moi ces petits enfants, et ne les empêchez point; car le royaume de Dieu est pour ceux qui leur ressemblent.

17. Je vous le dis en vérité, quiconque ne recevra point le royaume de Dieu comme un enfant, n'y entrera point.

18. Alors un homme de qualité vint lui faire cette demande: Bon Maître, que faut-il que je fasse pour obtenir la vie éternelle?

19. Jésus lui répondit: Pourquoi m'appelez-vous bon, il n'y a que Dieu seul qui soit bon.

20. Vous savez les commandements: Vous ne tuerez point; Vous ne commettrez point d'adultère; Vous ne déroberez point; Vous ne porterez point de faux témoignage; Honorez votre père et votre mère.

21. J'ai gardé, dit-il, tous ces commandements dès ma jeunesse.

22. Ce que Jésus ayant entendu, il lui dit: Il vous manque encore une chose; vendez tout ce que vous avez, et le donnez aux pauvres; et vous aurez un trésor dans le ciel: puis venez, et me suivez.

23. Mais lui, ayant entendu ceci, devint tout triste, parce qu'il était fort riche.

24. Et Jésus voyant qu'il était devenu triste, dit: Qu'il est difficile que ceux qui ont de grandes richesses entrent dans le royaume de Dieu!

25. Il est plus aisé qu'un chameau passe par le trou d'une aiguille, qu'il ne l'est qu'un riche entre dans le royaume de Dieu.

26. Ceux qui l'écoutaient lui dirent: Qui pourra donc être sauvé?

27. Jésus leur répondit: Ce qui est impossible aux hommes, est possible à Dieu.

28. Alors Pierre dit: Pour nous, vous voyez que nous avons tout quitté pour vous suivre.

29. Jésus leur répondit: Je vous le dis en vérité, personne ne quittera pour le royaume de Dieu, ou sa maison, ou son père et sa mère, ou ses frères, ou sa femme, ou ses enfants,

30. Qui ne reçoive dès ce monde beaucoup davantage, et dans le siècle à venir la vie éternelle.

31. Ensuite Jésus prenant à part les douze, leur dit: Enfin nous allons à Jérusalem; et tout ce qui a été écrit par les prophètes touchant le Fils de l'homme, sera accompli.

32. Car il sera livré aux gentils; on se moquera de lui; on le fouettera; on lui crachera au visage:

33. Et après qu'on l'aura flagellé, on le fera mourir; et il ressuscitera le troisième jour.

34. Mais ils ne comprirent rien à tout cela; c'était pour eux un langage inconnu, et ils n'entendaient point ce qu'il leur disait.

35. Comme il était proche de Jéricho, un aveugle qui était assis près du chemin, et qui demandait l'aumône,

36. Entendant passer une troupe de gens, s'enquit de ce que c'était.

37. On lui dit que c'était Jésus de Nazareth qui passait.

38. Et clamavit, dicens: Jesu fili David, miserere mei.

39. Et qui præibant, increpabant eum ut taceret. Ipse verò multò magis clamabat: Fili David, miserere mei.

40. Stans autem Jesus, jussit illum adduci ad se. Et cùm appropinquâsset, interrogavit illum,

41. Dicens: Quid tibi vis faciam? At ille dixit: Domine, ut videam.

42. Et Jesus dixit illi: Respice: fides tua te salvum fecit.

43. Et confestim vidit, et sequebatur illum magnificans Deum. Et omnis plebs, ut vidit, dedit laudem Deo.

38. Et aussitôt il s'écria: Jésus fils de David, ayez pitié de moi.

39. Ceux qui allaient devant, lui disaient rudement de se taire; mais il criait encore beaucoup plus fort: Fils de David, ayez pitié de moi.

40. Alors Jésus s'arrêta, et commanda qu'on le lui amenât; et quand l'aveugle se fut approché, il lui demanda:

41. Que voulez-vous que je vous fasse? L'aveugle répondit: Seigneur, que je voie.

42. Jésus lui dit: Voyez: votre foi vous a sauvé.

43. Il vit au même instant, et il le suivait, rendant gloire à Dieu; ce que tout le peuple ayant vu, il en loua Dieu.

COMMENTARIA.

Vers. 1. — Dicebat et, seu etiam, eodem loco eodemque tempore, præcedentibus subjiciebat. Postquàm mentionem fecisset afflictionum et periculorum, subdebat quomodò inter illa servari possent, oratione nimirùm assiduâ.

Parabolam, similitudinem, exemplum. Similitudo inter iniquum judicem et Deum in eo posita est, quòd uterque obsecundet perseverantibus precibus; quanquàm non paria inter se conferantur, sed minus et majus.

Ad illos, discipulos suos, quorum mentio præcessit supra 17, v. 22.

Quoniam pro *quòd*, oportet; ad hunc finem quòd oporteat. Oportet autem, si servari et liberari velimus ab iis quibus premimur malis. Syrus, omissâ voce *oportet*, et infinito verbo in finitum verso, clarè vertit, *ut omni tempore orarent*.

Semper, assiduè, omni tempore opportuno, signanter persecutionis et tribulationis, quale erit singulare, sub diem Filii hominis novissimum.

Orare, Deum; nullum enim, aut certius refugium aut præsentius adversùs tribulationes remedium, quàm à Deo auxilium petere.

Et non deficere, scilicet animo, ob dilationem petitæ, et non frangi malis, non succumbere, non cedere malis, ita scilicet, ut orandi studium, unà cum spe, abjicias, si primis votis non succedat, si non tam citò quàm velis libereris à malis. In eumdem sensum vertunt alii, *et non defatigari*, quod est, non desponderе animum, non cessare ab oratione præ tædio aut impetrandi desperatione. Explicat id quod dixerat, *semper*; semper, etiamsi non mox pro voto exaudiaris; perseverandum, etiamsi mala orationis remedio nihil minui videantur.

Vers. 2. — Erat. Fieri potest rem gestam narrari, quæ, quia ad aliud docendum adhibetur, parabola dicta sit; certè si non est res gesta, sed docendi causâ conficta, at hujusmodi sit oportet, quæ facilè fieri possit, id quod, proh dolor! nimis verum est; cæteroqui deesset argumentationi sua efficacia, infra, v. 7.

Deum non timebat, in impietate obduratus.

Hominem, enallage numeri, pro *homines*, non reverebatur, potestate elatus. Judex impius impudensque, qui nec Dei timore, nec hominum verecundiâ movebatur, ut jus diceret personis imbellibus et afflictis, indignus proinde judicis tam nomine quàm officio. *Nec Deum timebat*, inquit Euthymius, *jubentem eos vindicare qui injuriâ affecti sunt; neque homines reverebatur, qui judicibus indignantur, oppressos despicientibus.* Quosdam à malo retrahit timor Dei, quia illud Deo displiceat; hi boni et pii sunt. Alios, non timor Dei, quippe quem non videant, sed pudor hominum, quos vident et à quibus videntur, retrahit, eò quòd nimirùm, vel timeant homines, vel placere eis velint, viderique pii: hi hypocritæ sunt et occultè mali. At quando, et pudorem ex oculis, et Dei timorem ex animâ, quis propulerit, *tunc omnis malitiæ vertex videtur*, ait Theophylactus. Hujusmodi erat hic judex, homo prorsùs deploratus, impius, impiritum non relaxabat. Itaque Augustinus, epistolâ 121, capite 9 et aliis, docet continuam orationem esse continuum desiderium: continuè enim orat, qui continuè desiderat, etsi non moveat labia, nec flectat genua. Basilius verò in Regulâ 37, fusiùs disputatâ, ad semper orandum plus requirit, ut videlicet in medio occupationum et fori desiderium illud mente Deo exponatur: quo modo hoc sanctos intellexisse, eorum vita probat, quæ non aliud esse solet, quantùm infirmitas humana permittit, nisi perpetua quædam oratio. Et non deficere: Græcum alii vertunt, *non animo confidere* vel *succumbere*, subjiciendo præ tædio et successûs desperatione orandi studium, si non statim sequatur effectus.

Vers. 2. — Dicens: Judex quidam erat, etc., qui Deum non timebat, id est, qui nec Dei timore, nec

mitis, inhumanus, cui nec conscientia curæ nec fama.

Vers. 3. — Illa, eadem.

Et veniebat, quæ veniebat frequenter adeòque quotidie.

Vindica me. *Vindicare* Latinè et ἐκδικεῖν Græcè, significat ulcisci, significat et liberare, asserere, eripere è malo, quod fieri potest absque omni ultione. Posterior significatio videtur huic loco servire, *vindica me*, libera, tuere, defende me, nimirùm jure dicto, justitiâ exercitâ, quod tui est officii.

De, *ab*, adversario, contralitigatore, adversario litis, ab injuriâ, quâ ille qui mecum coram te litigat et judicio contendit, me afficit; q. d. : Tametsi justâ nitar causâ, opprimor tamen dolo, violentiâ, opibus, gratiâ adversarii mei. Non petit ut judex puniat adversarium in lite suum, et ulciscatur injuriam, quâ ille ipsam afficiat; sed ut jus dicat, eâque ratione liberet ipsam ab injuriâ quam patitur : justitiam petit, non vindictam. Nihil enim dubitat quin justam ipsa foveat causam, adversario injustè litigante, et vel retinere vel auferre ipsius bona volente. Instat itaque ut sententiam judex ferat, quâ adversarium condemnandum persuasa est; nec tantùm condemnandum, sed et cogendum, ut injuriam reparet; ut judicibus in manu est, quam pronuntiaverint sententiam exsequi. Frequens est ut viduæ maritorum auxilio destitutæ, impetantur à rapacibus, et longis litibus divexentur. Hinc est quòd Salvator à viduâ exemplum sumpserit.

Vers. 4. — Nolebat, vindicare eam, jus illi dicere; omninò contra officium judicis, cujus est, etiam non rogati, subvenire oppresso, judicare pupillo, defendere viduam, prout exigit Deus Isaiæ 1, v. 17. Atqui hic, cùm nec Deum nec homines revereretur, nullam personam minùs juvare paratus erat, quàm pauperem viduam, à quâ nihil sibi sperandum, nihil timendum censeret.

Per multum tempus, ad tempus scilicet longum seu multum, quod rectè expresserunt interpretes Latinus et Syrus. Χρόνος de longo temporis spatio interdùm dicitur : ut hic etiam constans et diuturna viduæ in supplicando perseverantia declaratur, non minùs quàm judicis obstinatio negantis officium.

hominum verecundiâ movebatur, ut jus ex officio diceret, sive cui neque conscientiæ cura erat, neque famæ.

Vers. 3. — Vidua autem quædam erat. Vidua et hic et alibi in Scripturis proponi solet velut exhortationis exemplum ad suscipiendum orandi studium; ut notat August., epistolâ 121 cit., c. 20, et patet in Annâ, Samuelis matre, et illâ filiâ Phanuel, Lucæ 2, et 1 ad Timot. 5, v. 5. Quid autem, inquit August., in hoc operis genere in viduis electum est, nisi destitutio et desolatio? Quapropter si se omnis anima intelligat in hoc sæculo destitutam ac desolatam, quamdiù peregrinatur à Domino, profectò quamdam viduitatem suam Deo defensori assiduâ et intensissimâ precatione commendat. Hâc ergo de causâ viduæ personam Christus induxit, dicentem : Vindica me, id est, defende me (non enim videtur hic sumi in significatione ulciscendi) de adversario meo, qui mecum litigat, et opprimit justitiam causæ meæ, opibus,

Post hæc, tandem, cùm non faceret illa finem interpellandi.

Dixit intra se, cogitavit apud se : Etsi, etc. Nec propter Deum, nec propter homines, nec quia viduas curem. Agnoscit propriam malitiam, nec tamen curat emendare, quin potiùs seipsum in eâ animat et confirmat, desperatè malus atque obduratus.

Vers. 5. — Quia molesta est mihi, quia molestiam mihi exhibet. Supra, cap. 11, v. 8 : *Etsi ille perseveraverit pulsans, dico vobis, etsi non dabit illi surgens, eò quòd amicus ejus sit*, etc. Ut ille non causâ amicitiæ, sic nec iste causâ justitiæ, sed molestiæ vitandæ causâ uterque.

Vindicabo eam, jus illi dicam, et ab injuriâ quam patitur liberabo.

In novissimo. Græcè, *in fine*, tandem, veniens, pergensque mihi esse molesta. Quidam interpretantur *assiduè, semper*; Syrus, *omni tempore*. Ne semper veniens, ne venire perseverans. Hâc significatione, *in finem* legitur psalmi 78 v. 5 : *Usquequò, Domine, irasceris in finem?* id est, semper et perseveranter.

Sugillet. Sugillare propriè dicitur qui alterius faciem pugnis aut cestibus ita tondit et cædit, ut lividam reddat, et sanguinis notis commaculet. Metaphoricè verò qui assiduis et importunis flagitationibus, aures alterius quasi verberat, et caput obtundit. Nam et simili translatione Latinè usurpatur, verbum *obtundere*, cùm dicimur aures caputve alterius clamoribus aut verbositate obtundere. Quare rectè quidam τὸ *sugillet* exponunt obtundat (ne tandem veniens, vel ne semper veniens, clamoribus suis obtundat mihi aures et caput), in quem sensum Syrus vertit *maharo li*, negotium mihi facessat; nam et supra, cap. 11, v. 7, Syrus eodem verbo *haro*, utitur pro, molestiam *exhibere*. In eumdem sensum Beda *sugillet* exponit, *assiduis precibus tundat*, et Augustinus, lib. 2 Quæst. evang., cap. 45, tædio afficiat, cujus verba sunt : *Viduæ assiduis interpellationibus cessit, ut eam vindicaret, ne sibi ab illâ tædium fieret. Nam hoc est quod ait : Ne veniens sugillet me.* Similiter exponit epistolæ 121 ad Probam cap. 8, cùm ait : *Judicem iniquum sæpè interpellando flexit ad audiendum, non justitiâ nec misericordiâ permotum, sed tædio*

gratiâ et violentiâ. Petit itaque, ut sibi jus officio diceat, et ita liberetur.

Vers. 4. — Et nolebat per multum tempus, defectu non potestatis, sed bonæ voluntatis, idque contra officium judicis, utpote cujus est etiam non rogati subvenire oppresso, judicare pupillo, defendere viduam, ut est Isaiæ 1, v. 17. Postea autem dicebat :

Vers. 5. — Quia molesta est mihi hæc vidua, vindicabo illam, id est, jus illi dicendo, liberabo eam ab invidiâ, ne in novissimo, Græcè, *in finem*, id est, assiduè, semper; Syrus, *omni tempore*, quo modo sumitur psal. 78, v. 5, et psal. 12, v. 1, veniens, id est, pergens mihi esse molesta, sugillet me, quod propriè significat plagis lividum reddere; hic autem per metaphoram significat maledictis obloqui, et famam lædere; quod ultimum refugium esse solet mulierum quæ passæ sunt injuriam, vel certè tædio aures obtundere, quo modo intellexit Beda et August. lib. 2 Quæst. evang., q. 45, et Epist. cit., c. 8.

superatum. Nec aliud significari hic potest, quando parabolæ accommodatio exigit ut non aliud hunc judicem moverit, quàm importuna mulieris interpellatio, non timor Dei, non metus, pudor aut infamia hominum.

Vers. 6. — Ait. Recitatâ parabolâ subjecit *Dominus* Jesus : Audite, considerate, attendite. Hortatur ad attendendam parabolæ accommodationem.

Iniquitatis, phrasis Hebraica pro iniquus. Iniquum enim se ipse judicat, qui fatetur se nec Deum nec homines revereri.

Dicit, etc., dicat. Attendite verba ipsius. Iniquus judex dicit quòd succurret viduæ, victus improbitate precum ejus. Non enim prorsùs omnia attendi vult, quæ insunt judicis verbis; nempe et hoc, quòd succurret viduæ ne continuam molestiam ac tædium patiatur, obtundaturque ipsi caput, quòd orantis instantia pariat ipsi molestiam, molestia autem extorqueat ab ipso justitiam; hæc enim ad explendam ornandamque parabolam dicta sunt, non quòd accommodanda ad rem significatam, quasi Deus molestiâ aut tædio victus aliquando petita concedat; sed rem ipsam præcipuam, quòd judex iniquus statuat viduæ votis satisfacere et ab adversarii injuriâ eam vindicare, motus perseverantiâ assiduarum illius precum.

Vers. 7. — Deus autem, qui justus est judex, *omnis justitiæ dux*, quod ait Theophylactus. Ex verbis iniqui judicis infert hanc conclusionem, sed interrogando pronuntiatam, quò magis moveat; q. d. : An id in cujusquam animum cadere possit, ut id de Deo sentiat? res planè absurda sit.

Non faciet vindictam electorum suorum, non vindicabit, non liberabit electos suos (quos singulariter diligit, utpote quos ante mundi constitutionem elegerit ad beatitudinem æternam), ab injuriis quas patiuntur, à violentiâ quâ opprimuntur ab impiis. Fideles omnes, qui bonæ sunt voluntatis, ac signanter qui justitiæ causâ persecutionem patiuntur, electos se esse, meritò persuadere sibi debent.

Clamantium ad se, toto animi affectu orantium pro sui liberatione, ut liberentur à persecutionibus, tribulationibus, injuriis, quas, auctoribus impiis, inimicis suis, patiuntur. Clamore non qualescumque, sed vehementissimæ, ardentissimæ, et ex maximo animi dolore affectuque profectæ, preces significantur : quemadmodùm, psalmi 33 v. 18 : *Clamaverunt justi, et Dominus exaudivit eos, et ex omnibus tribulationibus eorum liberavit eos.*

Vers. 6. — Ait autem Dominus, similitudinem hanc accommodaturus ad propositum : Audite quid judex iniquitatis, id est, iniquus, quia scilicet impius erga Deum, impudens in homines, nec justitiam administrans intuitu justitiæ, sed pro commodo vel incommodo suo, dicit, nempe quòd vindicabit illam precandi scilicet assiduitate ac tædio victus : nam hoc solùm in verbis ejus attendi vult.

Vers. 7. — Deus autem, qui clemens est, qui propensus in oppressos, qui fons justitiæ ac misericordiæ, qui precum assiduitate non obtunditur, sed delectatur; ut occasionem habeat citò subveniendi, non faciet vindictam electorum suorum, id est, non vindicabit, seu liberabit à violentiâ quâ premuntur fideles et electi, quos ille non aversatur ut ille judex, sed ab æterno eligendo dilexit. Clamantium ad se, id est, non simpliciter rogantium, sed ex totis animæ visceribus clamantium pro liberatione, neque tantùm singulis diebus, sed die ac nocte; quo vehementissimæ et perseverantissimæ preces significantur; nam singula verba spirant emphasin, et argumentum à minori ad majus peti indicant. Et patientiam habebit in illis; Græcè, *super illis*; id est : Semperne longanimis erit, ac patienter feret injurias eorum, differendo libera-

Die ac nocte, semper, quotidiè, omnique tempore. Significantur assiduæ et perseverantes preces. Opponuntur autem sibi mutuò, iniquus judex et Deus, ducituque argumentum à minore ad majus : Iniquus judex motus importunitate precum viduæ, quam per se contemnebat, fecit quod illa rogavit, vindicavit illam ab injuriâ adversarii; Deus autem qui justus est judex, non movebitur perseverantiâ precum, quas assiduè fundunt electi sui (quos olim diligens, elegit ad vitam æternam), ita ut liberet eos à persecutionibus impiorum, quas injustè patiuntur? Si etiam iniquissimus judex, per importunitatem precum viduæ quam non amabat, eò adductus est, ut jus ipsi diceret, non multò magis Deus, justissimus judex, continuis precibus piorum quos maximoperè amat, eò adducetur? Simile argumentum habuimus supra 11, v. 13 : *Si vos cùm sitis mali*, etc., *quantò magis pater vester*, etc. « Hic iniquus judex, ait Augustinus, lib. 2 « Quæst. evang., cap. 45, non ex similitudine, sed ex « dissimilitudine adhibitus est, ut ostenderet Domi- « nus, quantò certiores esse debeant, qui Deum per- « severanter rogant, fontem justitiæ atque misericor- « diæ, cùm apud iniquissimum judicem, usque ad « affectum implendi desiderii, valuerit perseverantia « deprecantis. » Procul dubio multùm dissimiles sunt iniquus judex et Deus : in eo tamen convenire ponuntur, quòd non statim exaudiant quasvis preces, sed differant exauditionem, donec assiduæ evaserint et perseverantes preces. Sed quia iniquus ille, odio justitiæ et contemptu supplicis differt, nec nisi victus, invitus, et quasi coactus, ægrè tandem succurrit; arguitur, perseverantes preces, quæ valent apud iniquum judicem, plus apud Deum valere, majorisque apud Deum esse efficaciæ, tum quia Deus, judex justus cùm sit, jus nemini negat (justus Dominus, justitiam diligit, Psalmi 10 v. 8); tum quia amat supplices suos, et benignè, spontè, libenterque succurrit eis, nec differt, nisi certo utilique consilio, eò inter alia, ut in oratione perseverantes coronet.

De illis, super illis. Sensus est : Sed semper longanimem se præbebit, semper patienter feret, ut ab impiis opprimantur, semper differet ut exaudiat et vindicet supplices? In eumdem sensum vertit interpres ex Syro : *Et protrahet spiritum suum in eos?* Similis est locus Eccles. 35, v. 21, 22 : *Oratio humiliantis se nubes penetrabit*, etc., *et Dominus non elongabit, sed judicabit justos, et faciet judicium, et fortissimus non habebit in illis patientiam*, quod po-

stremum, similiter ut hic, est Græcè, *non longanimiter aget super illis*, non differet vindictam eorum ultra modum. Porrò in Evangelio interrogatio est, demùm hic finita, quæ etsi secum suam afferat responsionem, disertè tamen Dominus ei respondet sequentibus verbis :

Dico, certè dico, affirmo vobis ; q. d. : Non habebit patientiam super illis, sed pro re certâ habete quòd

Citò, celeriter, brevi. Non intelligit *citò*, quamprimùm voluerint et oraverint eum : vult enim preces esse constantes et perseverantes, nec omitti, etiamsi non mox exaudiantur, tribulationibus perdurantibus ; id enim supra versus primus, et tota hæc parabola docet : sed *citò* dicit, pro eo quod est, primo quoque tempore opportuno ; id enim citò fit quod tam citò fit quàm fieri expedit. Non differt Deus more hominum, quasi parùm faveat electis suis, aut quasi tardè aut ægrè exerceat justitiam misericordiamve ; aut quòd præterire sinat aliquid temporis congrui ; sed quòd consilium ejus sit, ut electi per tribulationes exerceantur in virtutibus, charitatis, patientiæ, assiduæ orationis, etc., Mox verò ubi adest vel primus illius temporis articulus, quod ipse sapientissimâ providentiâ suâ statuit, tanquàm opportunum et utile liberandis electis suis, nihil ultra differt, mox promptum et præstò est ejus auxilium, et si in secretum consilii ejus penetrare liceret, videremus quàm citò succurrat, et ne uno quidem momento temporis tardet. Jam hinc infert Salvator quod initio nos docere statuerat, semper orandum et non deficiendum, exemplo viduæ, quia *veniens veniet Dominus et non tardabit*, Habacuc 2, v. 3, si nos in oratione perseveraverimus. Atqui dicet quis : Quid opus est in oratione perstare, quandoquidem non ante tempus opportunum Dominus auxiliaturus sit? Respondeo quòd nullum tempus opportunum Dominus statuerit, juvandis iis qui noluerint orationi invigilare.

Vers. 8. — Veniens, cùm venerit, scilicet in die suâ, de quâ supra, 17, v. 24, ad vindicandum electos semel omnes, ab injuriis inimicorum, et malis omnibus ; nam interim singulos vindicat seu liberat à

tionem quam petunt? Quo sensu dicitur Eccl. 35, v. 22 : *Dominus non elongabit, sed judicabit justos, et faciet judicium ; et fortissimus non habebis in illis patientiam*. Respondet autem Christus interrogationi suæ :

Vers. 8. — Dico vobis, quia cito faciet vindictum illorum, eos à malis omnibus liberando. Non quòd statim eis precantibus subveniat ; sic enim periret precum perseverantia, ad quam hortatur ; sed quia ne momento quidem tardat ultra articulum temporis, quo recta ratio, id est, justitia et veritas Dei dictaverit esse subveniendum. Sed quia, ut Aug. notat, serm. 36 de Verbis Dom. cap. 1, si fides deficit, perit etiam oratio, et maximè orationis perseverantia, hinc Christus adjicit : Verumtamen Filius hominis veniens, ad faciendam vindictam, seu ad liberandum simul et semel electos suos ab acerbissimis, quæ tunc erunt, tribulationibus, et quæ maximè poscunt ut assiduæ orationi vacent, putas, Græcè, *num*, sive, *utrùm*, quo modo sæpè sumitur illud, *putas*, in Scripturis, ut supra c. 12, v. 42, et Matth. 24, v. 23. Inveniet fidem in terra, seu in hominibus? quâ interrogationis figurâ fidei raritatem significat, ut Theophyl. notat ; non tamen omnimodum interitum, quasi tunc Ecclesia fidelium peritura sit : quem perversissimum esse sensum docet Aug., lib. 2 contra Gaudentium c. 6. Nam Donatistæ ex hoc loco probare conabantur, apostasiam totius orbis factam esse. Itaque idem Aug. duplici sensu hoc exponere solet ; vel de fide formatâ per charitatem, ut hoc dictum sit propter iniquorum abundantiam bonorumque paucitatem, juxta illud Domini : *Quoniam abundabit iniquitas, refrigescet charitas multorum* ; vel de fide perfectâ, quâ montes transferuntur, atque ita difficilis est in hominibus, inquit, ut in ipsis quoque admirabilibus sanctis, sicut in ipso Moyse, inveniatur aliquid, ubi trepidaverint, vel trepidare voluerint ; talis enim fides efficacissima est ad orandum, et impetrandum. Utrumque sensum tradit lib. de Unit. Ecclesiæ cap. 15, postremum loco cit. contra Gaudentium, et latiùs,

præcipuis malis, ut minimùm finitâ vitâ eorum mortali, cùm persecutiones erunt omnium acerbissimæ, et summæ tribulationes, maximèque necessarium erit incumbere continuis orationibus ad evadendum mala, quod notat Theophylactus.

Putas, Græcè, *num*.

Fidem, cum fiduciâ et charitate conjunctam, quæ ad orandum et in oratione perseverandum excitet, ob oculos positâ misericordiâ et veritate promissorum Dei. *Meritò sermoni de oratione, sermonem de fide connexuit*, ait Theophylactus, *quoniam omnis orationis fundamentum ac basis est fides*, etc., *declarans interim, paucorum fore tunc orare, quandoquidem fides in paucis invenietur*. Ad eumdem modum Augustinus, serm. 36 de Verbis Domini : *Si deficit fides, oratio perit : quis enim orat qui non credit?* Ex fide oratio nascitur ; ex fidei magnitudine et constantiâ perseverantia orationis.

In terra? in hominibus? *Quâ interrogationis figurâ, raros dicit tunc inveniendos fideles*, inquit Theophylactus ; q. d. : Paucissimi erunt, qui fidem servaverint illibatam, qui perstiterint in superioris temporis afflictionibus, nec ob liberationis dilationem defecerint à fide in Deum et orationis constantiâ. Pauci eorum qui tunc vivent, quando Filius hominis, divinâ instructus potestate, venerit ad redimendum perfectèque liberandum, et in Dei regnum tam corpore quàm animâ assumendum electos omnes, judicabuntur electi, et redemptione liberationeque illâ ac regno Dei digni ; plerique miserè peribunt ob desertum fidei et orationis remedium. Neque enim salus continget iis qui non exemplo viduæ indesinenter oraverint Dominum, et magnâ patientiâ ac longanimitate exspectaverint, perferentes interim fortiter mala, dùm adventu suo ad clamorem eorum respiciens, finem calamitati afflictionique eorum imponat. Fideles ergo paucos dicit futuros sub adventum suum gloriosum, paucos, inquam, non respectu infidelium, quod semper locum habet, sed pauciores quàm præcedentibus ab humili suo adventu temporibus. Nam et alibi de novissimo tempore : *Surgent*, inquit, *pseudochristi et pseudoprophetæ, et dabunt signa magna et prodigia,*

ita ut in errorem inducantur, si fieri potest, etiam electi, Matth. 24, v. 24, ubi et de charitate ait, quemadmodùm hic de fide : *Quoniam abundavit iniquitas, refrigescet charitas multorum : qui autem perseveraverit usque in finem, hic salvus erit*, Matth. 24, v. 12. Et Petrus apostolus, nonne venturos dicit *in novissimis diebus in deceptione illusores, juxta proprias concupiscentias ambulantes*, qui negaturi sint futurum, quamvis instantem, Filii hominis ad judicium adventum, *dicentes : Ubi est promissio aut adventus ejus? ex quo enim patres dormierunt, omnia sic perseverant ab initio creaturæ?* Sub judicium igitur peribit paulatim fides, et minuetur fidelium numerus, ita ut pauci futuri sint Filio hominis apparente, verùm insignes illi illustresque, non tantùm fide, verùm etiam fidei confessione et perseverantiâ in oratione omnisque generis virtutibus. Hos hâc admonitione præmunire Christus voluit ne turbarentur aut scandalum paterentur, cùm visuri essent plerosque, cedentes malis, et à rectâ in Deum fide veràque pietate deficientes. Hos denique Filius hominis, adventu suo, è malis omnibus eripiet vindicabitque, et compotes redet ejus voti quod toties iteraverunt : *Adveniat regnum tuum*, cæteris omnibus perditis et ad gehennam damnatis.

Vers. 9. — Dixit autem, quodam tempore.

Et, etiam ; non tamen necesse est intelligere, hanc parabolam eodem tempore dictam quo superiorem.

Ad quosdam, monendos et corripiendos, eorumque superbiam retundendam : quam frequenter damnat ut nocivam maximè, quæque plus aliis passionibus mentes hominum vexet, humilitate è contrario commendatâ.

Qui in se confidebant, persuasos in seipsis, qui sibi ipsis persuaserant. Græcè plus aliquid est quàm *confidere* : unde Rom. 8, v. 38, interpres idem verbum vertit *certus sum*, quod alii *persuasus sum*. Quod autem dicitur, *in se*, non ita intelligendum est, quòd fiduciam suam in seipsis collocârint, sed quòd apud se confisi fuerint, seu, ut loquitur Syrus, *in animis suis*.

Tanquam justi, ad verbum, *quòd sunt justi*. Ita scribit et Syrus, qui confisi seu persuasi animis erant quòd essent justi, hoc est, *qui sibi justi videbantur*, quod habet Augustinus, serm. 36 de Verbis Domini. *Justi*, id est, à peccatis vitiisque immunes et conversatione sancti. Subaudi, quales reverà non erant, vel

serm. 36 de Verbis Dom., c. 1. Cùm ergo docuisset Dominus orationem esse debere perseverantem, nunc ut doceret esse debere humilem,

Vers. 9. — Dixit ad quosdam, Pharisæos videlicet, de superbiâ maximè notabiles, qui in se confidebant, tanquam justi, supple, *essent*, ut Græcè additur, id est, qui confidebant seu confidenter sibi persuadebant se esse justos ; nam Græcè est, *persuasi in seipsis*, id est, qui sibi persuaserant, etc. Et asperNabantur cæteros, tanquàm injustos, arbitrati videlicet se solos esse justos. Superbia enim vult esse singularis, perversè appetens id quod Deo maximè proprium est, ut scilicet unus omnibus excellat, de quo August., lib. de verâ Religione, cap. 45. Et hæc est causa cur superbos Augustinus communiter per

ob superbiam certè mentisque tumorem. Verisimile est hos Pharisæos fuisse, quibus familiare erat propter externa quædam virtutum opera justos se reputare.

Et, propterea.

Aspernabantur, despiciebant, contemnebant præ se cæteros, alios plerosque omnes, tanquàm injustos, peccatores, et longè alienos ab eâ justitiæ laude quâ ipsi excellerent.

Parabolam. Sive res gesta fuerit, quam novisse potuerat ipse cordium cognitor Jesus, sive exempli gratiâ conficta, parabola dicitur, quemadmodùm superior. Vide supra, v. 1, et infra, v. 14.

Vers. 10. — Duo homines. Duos homines inter se confert Jesus, qui cùm ambo pietatis studium orando præ se ferant, longè tamen dispares sunt.

Ascenderunt seu ascenderant, in templum, quod notum est in monte situm fuisse. Isaiæ 2, v. 3 : *Venite et ascendamus ad montem Domini*.

Ut orarent, Deum, ob quam solam causam frequentandum est templum, quæ *domus orationis est*, ut alibi Salvator monet ; infra 19, v. 46.

Pharisæus, justum se esse persuasus, et sanctitatis opinione tumens.

Publicanus, peccatorem, multis peccatis obnoxium, se esse agnoscens. Vide quæ diximus supra de publicanis.

Vers. 11. — Stans. In illo templo veteri, ferè moris erat stare, quod ex pluribus Scripturæ locis manifestum evadit. Nam, quanquàm aliquando, nunc in genua, nunc etiam in faciem procideretur, tamen quia non poterat id esse continuum, quamdiù religionis officia durarent, stabatur ferè à viris, cùm commoditas sedendi nulla esset, ubi solis pontifici et regi sedes erat. Cæterùm fieri potest ut hic notetur Pharisæi arrogantia, quasi jure ac merito suo cum Deo colloquentis, et vultum in cœlum attollentis. Nam *humilis viri est, et aspectu humiliari*, inquit Theophylactus : *hic autem et habitu et gestu superbus agnoscitur*.

Apud se. Id Syrus pro *secretò* acceptum refert ad *stans* ; rectiùs Latinus, pro *in animo*, seu *corde suo* acceptum, jungit cum *orabat* ; nam Græcum ambiguum est.

Orabat. Hæc erat ejus oratio, orationis loco hæc loquebatur in corde suo.

unicornes intelligat. Hanc superbiam etiam ipso nomine Pharisæi præferebant, tanquàm separati à reliquis. Ad hos ergo dixit parabolam istam ; quæ fortassis res verè gesta fuit, sed ad hoc proposita, ut inde tanquàm ex parabolâ aliquid simile pro omnibus orantibus eliciatur.

Vers. 10. — Duo homines ascenderunt in templum, tanquàm in monte situm ; ut isto corporali ascensu monerentur oraturi mentem simul ad Deum elevandum esse, cùm orationis non postrema pars sit mentis in Deum elevatio. *Unus Pharisæus*, opinione sanctitatis suæ tumens, et alter publicanus, peccator publicus, et agnoscens se esse talem.

Vers. 11. — Pharisæus stans, superbè et arrogan-ter, quasi jure suo de propriâ justitiâ cum Deo dis-

Gratias ago tibi, laudoque te, quia, quòd, non sum, tuâ gratiâ, tuo auxilio præservatus; sicut cæteri hominum, seu, ut Latinè loquaris, *homines*.

Raptores, qui sunt *raptores*, rapaces, aliená vi rapientes.

Injusti, fraude dolove alienâ sectantes ac retinentes.

Adulteri, subaudit, *et cætera;* nam quibusdam criminibus enumeratis, reliqua intelligenda relinquit. Sentit reliquos homines sceleratos et criminibus obnoxios esse, hos illis, alios aliis; à quibus quòd ipse immunis sit, Deo gratias agit. Porrò an Deo gratias agat, quòd ipsius munere à sceleribus et vitiis servatus fuisset, à quibus non valuisset solis liberi arbitrii sui viribus cavere et abstinere, incertum est; magis verisimile fit ad hujusmodi scelera cavenda, non agnovisse alium quàm generalem Dei concursum: non tamen grata èst ipsius gratiarum actio. Inprimis quia falsa est, quippe quâ è peccatorum numero se eximat, cùm inter preces ipsas gravissimè peccet, quando etiam ii qui sanctitate excellunt, agnoscere debeant multis se adhuc peccatis esse obnoxios, et sic Deo gratias agere, ut orent quoque: *Dimitte nobis debita nostra*. Deinde, quia verbis agnoscens Dei dona et gratiam, reipsâ placet sibi in illis, non secùs ac si à seipso haberet, et diligentiâ suâ assecutus esset. Tertiò, quia non solùm sibi ob ea placet, verùm etiàm magni se facit atque extollit, non tam Deum laudans quàm seipsum, specie gratiarum actionis ad se laudandum abutens, idque, quod quartum et amplius est, cum aliorum contumeliâ. Aliis enim omnibus se præfert, neminem sibi similem ducens, se solum purum et mundum, alios omnes sceleratos, et gravibus criminibus obnoxios, temerè atque injuriosè judicans. « Omninò enim, inquit « Theophylactus, si credidisset quòd per gratiam « haberet aliena bona, non contempsisset alios, con- « siderans quòd etiam ipse æquè nudus esset, quan- « tùm ad suam virtutem attinebat. » Quòd si dixisset: Deus, gratias tibi ago, quia non sum raptor, injustus, adulter, fuisset agnoscentis Dei beneficium, atque omninò pia meditatio est, reputare quantùm à Deo acceperis, ne Dei beneficentia tuâ ingratitudine obruatur; sed se quidem criminibus peccatisque absolvere, alios autem omnes onerare, temerariæ atque arrogantis φιλαυτίας ac superbiæ est, facientis ut et ipse sceleratus habendus sit, quamvis illorum quæ commemoraverat criminum, nihil in ipso resedisset: superbiâ nempe destruente, quod justitia ædificaverat, auctore Paulino apud Augustinum epist. 58.

serturus; nam sublimitas animi etiam in corpore suam similitudinem operabatur et operari solet; hæc apud se orabat, id est, hæc loquebatur in corpore suo cum Deo; nihil enim orabat à Deo, prout oratio postulationem significat, ut notat Augustinus, serm. 36 cit. Deus, gratias ago tibi, quia non sum, per tuam scilicet gratiam præservatus (nemo enim veraciter agit gratias alicui, nisi agnoscat ejus beneficium), sicut cæteri hominum. Diceret saltem, *sicut multi homines*. Quid est, *sicut cæteri hominum*, nisi, *sicut omnes præter me? Ego justus sum, cæteri peccatores*, prout hoc extendit August., ibid., quibus in verbis multipliciter peccabat. Primò, quia verbotenus agens Deo gratias, reipsâ sibimet placebat in donis Dei quod in viris etiam bonis superbiæ germen esse solet. Secundò, quia non solùm sibi placebat, sed etiam cæteris omnibus se cum quodam contemptu præferebat, adeòque sub specie gratiarum actionis laudabat: omnis autem qui se exaltat, etiamsi vera dicat, offen- dit, ut Ambros., serm. 3 in Psalm. 118, v. 5. Tertiò, quia falsò se peccatorum numero eximebat: nam illa verba, raptores, injusti, etc., vim habent enumerationis omnium vitiorum, etiam superbiæ (pauca enim tangens, reliquit reliqua); cùm tamen illa destrueret, quidquid reliqua ejus justitia ædificaverat, ut ait S. Paulinus, epist. 58 apud Augustinum, Idèoque falsa fuit hæc oratio. Quartò addit, velut etiam, seu qualis est etiam, hic publicanus, unus videlicet ex illis cæteris raptor et injustus. Nam cum tanquàm digito ostendens, jubet Deum animadvertere, quantùm inter se et illum intersit. Quà in re continetur intolerabilis superbia, cum temerario judicio conjuncta: superbia est enim insultare peccatori, ut notat Aug., in Psalm. 93, et insignis temeritatis, hominem condemnare, externo gestu pœnitentem. Cùm ergo se laudàsset quòd declinàsset à malo, nunc ulteriùs enumerat, quæ fecerit bona, ut utrinque se justum ostenderet:

Velut etiam hic publicanus, qualis est etiam hic publicanus, quem video præsentem, unus scilicet ex cæteris, nominatim raptor et injustus. Græcè est *aut etiam sicut hic publicanus*, scilicet non sum. Syrus, *neque sicut hic publicanus*, scilicet sum. Non suffecit huic generatim prætulisse se cæteris omnibus, nisi sumpto in exemplum præsente publicano, magis intumesceret, et despecto in corde suo tanquàm manifestario peccatori se præferret, ratus per rei evidentiam id se meritò posse. Quasi enim veritus ne Deus neget quod dixerat, de proximo sumit exemplum, quo innocentiam suam probet; et tanquàm digito publicanum ostendens, quantùm inter se et illum intersit, Deum jubet animadvertere. Intolerabilis superbia cum temerario judicio conjuncta. Quanquàm enim publicitùs notum esset hunc publicanum esse, et iis vitiis obnoxium quibus solent publicani, tamen cùm in templo orantem, et religionis officio vacantem conspiceret, sperare debebat ejus emendationem, quòd idcircò ad templum venisset, ut Deum veniam peteret peccatorum, promissâ vitæ emendatione, prout verè res se habebat; ac proinde meliùs de illo sentire, nec perinde facilè se illi præferre, multòque minùs contemnere eum. Quòd si sincerè Deo gratias egisset, cognoscens se, Dei gratiâ, sine meritis suis, à sceleribus quæ passim inter homines regnant præservatum fuisse, non insultàsset peccatori præsenti, sed misertus ejus fuisset, conjunctimque cum eo orâsset.

Vers. 12. — Jejuno, jejunare consuevi. Omnia superbiam spirant, tanto studio, nunc vitia aliorum,

nunc suas virtutes, enumerantis. Postquàm enim se ipse laudavit, quòd immunis esset ab iis quibus plerique hominum laborant vitiis; jam à virtutibus, quibus emineat, laudat se, ut in utrâque justitiæ parte æquè versatum se esse declaret, et in declinando à malo, et in faciendo bono. Jejunio, quod universa Scriptura tantoperè commendat, ut utile ad macerationem carnis et orationem corpus castigare soleo, ait, bis.

Bis, non tantùm iis diebus quibus omnes juxta legem aut majorum statuta jejunant, sed binis diebus.

In sabbato, id est, hebdomadâ unâquâque. Nam hebdomada à sabbato incipiens, et in sabbatum desinens, sabbatum hic vocatur, à præcipuo die.

Decimas do, decimas dare consuevi omnium quæ possideo; non solùm frumenti, vini, olei, quorum decimas vulgus appendit; sed et menthæ, anethi, cymini (de quibus Matth. 23, v. 23); quin etiam ovorum, lactis, casei, piscium. Quæ postrema etsi fructus terræ non essent, sed fructus aquæ aut fructus fructuum, tamen qui integriorem legis observationem profitebantur, etiam hæc omnia decimabant, quod docet Arias Montanus in hunc locum scribens. De horum et similium observatione Pharisæus hic sibi gratulabatur, non de legis aut mandatorum Dei, intelligens quòd ea quæ præcepta sunt, jam inde à juventute observaverit, sed quòd iis non contentus, multa sibi ipse postea indixerit, ex animi sui certo consilio ac studio, quæ ex lege facere non teneretur, verùm ex abundanti ad sui perfectionem susceperit. Et, quod Theophylactus notat, « contra adulterium quidem, cujus fecerat mentio- « nem, gloriatur de jejunio; à deliciis enim petulan- « tia: contra rapinam verò et injustitiam, profert da- « tionem decimarum omnium quæ possidebat: Tan- « tùm, inquiens, contrarius sum rapinæ et injustitiæ, « ut etiam quæ mea sunt expendam. » De horum igitur exactâ observatione, ut in quibus sita sit vitæ perfectio, Pharisæus hic sibi gratulatur; et gratias quidem agit Deo, ut qui auctor ipsi fuerit ineundæ vitæ adeò perfectæ, sed seipsum laudat, ut qui non tantùm peccatoribus, sed et aliis viris bonis, si qui essent, melior ac superior esset. Hæc igitur Pharisæi coram Deo oratio est, continens quidem gratiarum actionem, quæ una est orationis pars, quanquàm illam ad suam ipsius potiùs quàm ad Dei laudem institutam, quod diximus; sed nullam petitionem, quæ præcipua est pars. Nihil ille petit Deo, non remissionem peccatorum, vel illorum sine quibus hæc vita à justis non ducitur, non augmentum virtutum, non perseverantiam: dicas existimàsse se virtutum culmen esse assecutum, nec opus majore Dei gratiâ habere, ut cui nihil ad perfectionem deesset. *Tanquàm superbus et inflatus reprehenditur*, ait Augustinus, serm. 36 de Verbis Domini, *non quia Dei gratias agebat, sed quia velut nihil sibi addi cupiebat*.

mosynas videlicet erogando, ut August. in Psalm. 146. Neque enim omnium omninò rerum decimas propriè dictas sacerdotibus dare tenebantur. Observat autem idem Augustinus, tum illo serm. 36, tum lib. de Spiritu et Litterâ, cap. 15, Pharisæum se tantùm laudàsse, nihil verò omninò à Deo petiisse, tanquàm scilicet nihil Deo indigeret ampliùs, sive ad peccati cujuscumque remissionem, sive ad conservandam, augendam perficiendamque justitiam. Unde rectè loco quodam Ambr.: Pharisæus arrogans in prece, jactans innocentiæ, præsumptor gloriæ, exprobrator misericordiæ (fortè miseriæ), prædicator sui, criminator alieni, qui magis conveniret (id est, debitum suis meritis posceret) quàm rogaret Deum.

Vers. 13. — Et publicanus a longe stans, id est, longè ab altari et sanctis locis, conscientiâ id operante, quâ agnoscebat, se per dissimilitudinem morum longè esse à Deo, et salute, nolebat, quia non audebat, nec oculos quidem ad cœlum levare; multò minùs aliud quidquam audacius cum Deo facere, quod Cyprian. de Orat. Dominicâ in initio ascribit verecundiæ; attollere verò oculos impudentiæ; sed percutiebat pectus suum, ut peccata intùs inclusa testaretur, juxta Cyprian. ibid., ut ea contereret, juxta August. in Psal. 31, tunsio enim pectoris, inquit, obtritio cordis est; denique ut evidenti pulsu occultum castigaret peccatum, et à se pœnas exigeret, juxta eumdem, serm. 8 et 36 de Verbis Domini. Hæc enim omnia importat pectoris tunsio, quam natura pœnitentes docuit, tum Judæos olim, tum deinde Christianos, ut patet infra, cap.

quòd plagis dignus esset, ait Euthymius. Commendat discipulis suis Christus, non solùm humilitatem, verùm etiam gestus et signa humilitatis ac pœnitentiæ.

PROPITIUS, placatus, ESTO MIHI PECCATORI, vilissimo, remitte mihi peccata mea multa et magna. Paucis utitur verbis, et penè solis duobus, quorum uno peccatorem se confitetur, altero veniam petit. Verbis brevis oratio, nec enim multiloquio demulcetur Deus, Matth. 6, v. 7; sed personæ congrua: solent enim qui magno animi tenentur dolore simul et pudore, quæ duo semper conjuncta sunt, ubi est vera peccati agnitio, non multis uti posse verbis, vocem reprimente tum luctu, tum verecundiâ; sed rebus gravis, digna quam peccatores omnes imitemur; nam et hoc consilio, haud dubium à Christo nobis proposita est; quâ publicanus pœnitens, non confert, multòque minùs præfert se aliis, sed secum manet, et quasi solus peccator esset, de se solo loquitur: non se laudat aut excusat, sed deprimit et peccatorem confitetur, nullâ re magis animum suum torqueri declarans, quàm quòd Deum offenderit, nec quidquam æquè optare, ac ut sentiat placatum, ac proinde veniam et gratiam Dei, omni cum animi corporisque demissione, suppliciter petens.

VERS. 14. — DICO VOBIS. Fert sententiam Jesus inter duos illos oratores, declarans uter et utrius oratio Dei majestati acceptior fuerit. Dices non rem gestam à Salvatore narratam esse, sed fictam, exempli loco. Respondeo facilè fieri potuisse fuisse rem gestam, Jesu cognitam, eâ quâ omnia nósset scientiâ. Sed non fuerit res gesta, tamen hujusmodi fuisse intelligendum datur, quæ facilè fieri potuisset, nempe, et Pharisæis, solitis de vitæ sanctimoniâ gloriari, et publicanis, vitæ genere infamibus, non rarum fuisse morem orandi eâ ratione Deum, quâ dictum est. Qui mos etiam quamvis non fuisset, certè Salvator, positis iis quæ narraverat tanquàm verè gestis, sententiam dicit uter eorum qui sic orare potuissent, foret Deo gratior.

DESCENDIT post orationem è templo HIC publicanus, qui peccator in templum venerat, JUSTIFICATUS. Dei gratiâ justus effectus, AB ILLO, præ illo, quod Hebraicè dicitur *mimmennu*, id est, magis quàm ille, vel potiùs quàm ille. Sic Psal. 118, v. 105, *middebas*, præ melle, id est, plus quàm mel, quod nostra versio habet, *super mel ori meo*; id quod sæpiùs occurrit illo octonario: *Super omnes docentes me: Super senes*, etc. Videtur interpres hic secundùm Lucam Græcè legisse, παρ' ἐκεῖνον, *ab illo*, vel, παρ' ἐκεῖνον, *ad illum*, scilicet comparatus. Nam alioqui Græcè ferè est ἢ γὰρ ἐκεῖνος, *quàm enim ille*, quod quidam interpretantur, quàm certè ille, vel magis certè quàm ille; quidam aiunt se non intelligere. Nonnulli Græci codices, omissâ conjunctione, legunt ἢ ἐκεῖνος, id quod, subaudito adverbio μᾶλλον, vertitur, *potiùs* aut *magis quàm ille*; ad quem modum Syrus transfert, *magis* seu *ampliùs quàm ille Pharisæus*. Ad hunc modum, *magis quàm ille*, legit Augustinus pluribus locis, epistolâ 86 ad Casulanum, sermone 36 de Verbis Domini, homiliâ 44, inter 50, cum Paulino, epistolâ 58, inter Augustinianas. *Ab illo* autem, seu magis aut potiùs quàm ille, Euthymius interpretatur, *et non ille*, subjiciens: *Siquidem qui sese ideò justificaverat, à Deo condemnatus est; et qui se adeò condemnaverat, à Deo justificatus est*. Non enim est comparatio propriè dicta, quâ vel justitia vel injustitia utrique communis, sed gradibus differens, denotetur; nec enim Pharisæus tantâ cum arrogantiâ justus, nec publicanus post tantæ humilitatis et pœnitentiæ argumenta injustus, pronuntiari potuit; sed comparatio est impropria, quia scilicet Pharisæus specie solùm externâ et opinione suâ, publicanus autem reverà ac Deo propitio justificatus descendit. Ille varia commemoraverat justitiæ opera, quibus assiduè incumberet, sed, ut Paulinus ait, epistolâ illâ 58, *quod justitia ædificabat, superbia destruebat*; hic divinâ imploratâ misericordiâ exauditus est, et, acceptâ peccatorum remissione, ex peccatore justus redditus. Nihil enim ei defuit ad peccatorum remissionem obtinendam, non peccatorum confessio, non dolor de offenso per peccata Deo, non satisfactio, præ verecundiâ quasi subtrahentis se conspectui Dei, et pœnam à seipso exigentis. Nam propositum vitæ emendandæ, et signanter restituendi aliena, si opus foret, defuisse quis credat? Hinc Augustinus sermone illo 36: « Quid « miraris si Deus ignoscit, quando ipse se agnoscit? « et Paulinus, epist. 58: « Ille in corde contrito sui ac« cusator, accipitur, et obtinet veniam de confessis « peccatis, propter gratiam humilitatis, sancto illo Pha« risæo (quales Judæi sancti sunt) reportante sarcinam « peccatorum de jactantiâ sanctitatis. » Quare si remissionem peccatorum publicanus, utique et justificationem obtinuit, factus ex impio justus.

QUIA. Ratio redditur cur publicanus oratione justificationem obtinuerit potiùs quàm Pharisæus.

OMNIS QUI SE EXALTAT. Pharisæus se ipse exaltaverat, laudaverat, commemoraverat virtutes suas, quas tamen, vel non possederat, vel non nisi inanis gloriæ ac superbiæ carie emedullatas; denique omnibus se prætulerat; quare æquum fuit ut, juxta divinam regulam, humiliaretur ac deprimeretur; ut ab oratione nullum referret à Deo præmium, sed rejectus, qualis advenerat abiret, impius, superbus, inanis. Contra publicanus, qui se ipse coram Deo humiliaverat, peccatorem se agnoverat, peccata defleverat, veniam rogaverat, exaltaretur, exauditetur, justus et Deo acceptus redderetur, et qui servus ad templum advenerat, auctus honore filii Dei domum rediret. « Omnis enim « qui se exaltat, ait Theophylactus, humiliabitur, « Deo illum condemnante: quia autem se condem« nando humiliat, exaltabitur à Deo justificante. » Gnomen hanc Jesu familiarem: *Omnis qui se exaltat*, etc., jam explicuimus, supra, 14, v. 11. Hoc igitur exemplo et ratione hâc, corripuit Jesus eos, qui in se confidebant tanquàm justi, et aspernabantur cæteros, quòd essent aliquando, justo Dei judicio humiliandi, deprimendi, rejiciendi, à Dei donis repellendi, denique aliis omnibus, etiam publicis peccatoribus, postponendi; quemadmodùm alibi ait, *publicani et meretrices præcedent vos in regnum Dei*, Matth. 21, v. 31.

VERS. 15. — AFFEREBANT. Afferebantur, sive quòd brachiis gestarentur, quemadmodùm Jesus in u'nas eos secundùm Marcum accepit, sive quòd manuducerentur. Secundùm Marcum vertit *offerebant*.

AUTEM. Alteram doctrinam humilitatis subjungit evangelista.

ET INFANTES. Cùm sæpè experti essent homines illi, adultis hominibus Jesu oblatis varia contigisse non parvi momenti beneficia; tandem obtulerunt ipsi etiam infantes, spe conceptâ, nec illos Dei donis vacuos abituros, si manus illis imponeret. Syrus omittit, *et*.

INCREPABANT, objurgabant, prohibebant.

ILLOS, offerentes (sic enim disertè Marcus), ut minùs honorificè Dominum observantes, et molestos re indignâ eo cui non cum pueris, sed cum viris, turbis ac populis sacrum esset continuumque negotium. Existimant indignum auctoritate dignitateque Jesu cum pueris agere, in pueris occupari: dispensationem ipsius putant longè sublimiorem quàm cui possit vel debeat esse negotium cum infantibus. Hâc ratione abigunt offerentes, imò etiam increpant illos, tanquàm admittentes rem indignam Jesu, et parùm magnificè de ipso sentientes, cujus operam non ad humilia hujusmodi, sed ad sublimia deberent petere. Si parvuli isti ægroti fuissent, fortè non repulissent eos (neque enim repulerunt adultos insanos rationisque usu carentes), sed quia in sanis nulla ipsis apparebat occasio declarandæ virtutis divinæ, et infantes nullius erant doctrinæ capaces, non videbant quamobrem Christo offerri aut à Christo benedici deberent. Nondùm intelligebant munus Christi, à maximo ad minimum usque perire omnes necesse esse, quos non servaret redemptor mundi Christus, suæque gratiæ participes faceret.

VERS. 16. — CONVOCANS, simul omnes. Græcè, *postquàm advocâsset*. Syrus, *vocavit*.

ILLOS, infantes: est enim Græcè neutro genere αὐτά, quod non aliò referri potest, quàm ad τὰ βρέφη, *infantes*. Et quanquàm verisimile sit adfuisse et infantes ab uberibus adhuc pendentes, qui advocationis minimè essent capaces, ex communi tamen loquendi consuetudine, infantes advocare dicitur, qui gerulos aut ductores illorum advocat, ut infantes afferant, hic præsertim ubi geruli nec aderant nec advocabantur nisi infantum causâ. Intelligendum itaque est eos à quibus afferebantur infantes, quos discipuli abigebant, jussos à Jesu fuisse propiùs accedere unà cum infantibus quos gestabant aut manuducebant, ut scilicet tangeret illos, seu impositis manibus benediceret, quod rogabatur.

DIXIT, discipulis prohibentibus.

VENIRE AD ME, scilicet ut benedicantur. Puellos, qui per ætatem nondùm ipsi poterant sive pedibus sive affectibus venire, ad se venire reputat quando à parentibus aut amicis fide duce ipsi offeruntur.

TALIUM EST ENIM. Dat rationem quare arceri à se infantes nolit; quia *talium*, scilicet si modò ad me venerint et à me fuerint benedicti. TALIUM, id est, eorum qui tali conditione sunt præditi quali parvuli, quod est ipsorum parvulorum, et eorum qui parvulos simplicitate christianâ imitantur. Non enim dicit istorum, sed, *talium*, non quòd excludat pueros à quibus facit initium, sed quòd concludat simul adultos eos qui pueris similes sunt, qui *parvuli sunt non sensibus, sed malitiâ*, 1 Cor. 14, v. 20, ac signanter superbiâ, quâ apostoli moti repulerant pueros abs Jesu. Occuitè itaque arguit suos tanquàm nondùm à fastu alienos, et proinde necdùm idoneos regno cœlorum, quippe qui, puerulis qui neminem contemnunt dissimiles, puerulos abjiciant et contemnant. Itaque puerorum inprimis dicit esse *regnum cœlorum*, eorum, inquam, qui ab ipso Christo mundi Salvatore fuerint benedicti (nec enim per se sufficit illa naturæ ætatisve simplicitas), deinde et eorum qui puerulis sunt similes (quales ut se reddant, submonet apostolos), qui tales sunt virtute, electione, inquam, voluntatis adjutæ gratiâ ipsius, quales pueri ingenitâ naturâ, qui scilicet humiliter de se sentiunt, honores non ambiunt, alios omnes sibi præponi æquanimiter patiuntur, neminem fastidiunt aut contemnunt, superioribus citra obloquium credunt atque obtemperant, læsi vindictam non expetunt, iram non fovent, vitia ignorant, casti sunt, puri sunt, innocentes denique, simplices, candidi. Omnis enim animi præparationis ad regnum cœlorum Christi gratiâ obtinendum exemplum est puerilis simplicitas. Ad hanc refingi oportet superbam hominum malitiam, eorum qui adulti in illius virtute non perseverârint, si velint admitti in regnum cœlorum. Non itaque ætas puerilis præfertur ætati adultæ, sed virtus vitio, adultorumque ornamentum esse docetur puerilis innocentia.

REGNUM CŒLORUM, æterna felicitas, cujus ego annuntiator, promissor, possessor et largitor sum; q. sicut fecerat Pharisæus orando, HUMILIABITUR, quia ipsa oratio talis facta ei fuerat in magnum peccatum; ET QUI SE HUMILIAT, sicut publicanus, EXALTABITUR: nam ipsa ejus justificatio magna exaltatio fuit.

23, v. 48. Qui ritus olim tam familiaris erat christianis, ut simul atque audirent verbum, CONFITEOR, etiam pro laude usurpatum, pectus tunderent, August., serm. illo 8. DICENS: DEUS, PROPITIUS ESTO MIHI PECCATORI. Quibus paucis verbis et peccati confessio, et veniæ petitio exprimitur, et Spiritûs sancti infusio postulatur; nam, ut Aug., epist. 57, Spiritus sanctus inhabitat propitius. Itaque quidquid ad justificationem est necessarium, isto compendio comprehensum est. Unde quia cor contritum et humiliatum Deus non despicit, meritò pronuntiat Christus:

VERS. 14. — DESCENDIT HIC, è templo, JUSTIFICATUS AB ILLO, id est, præ illo, phrasi Hebræis usitatâ, seu magis quàm ille, prout August. legit multis locis, nempe quia Pharisæus opinione duntaxat suâ, externâque specie publicanus reverà coram Deo justificatus descendit. Ratio est QUIA OMNIS QUI SE EXALTAT,

d. : Non enim existimare debetis indignum me esse cum pueris agere, infantibus manibus impositis benedicere, postquàm regnum illud cœlorum, cujus gratiâ omnia à me fiunt ut homines eò adducam, non alii obtinebunt quàm pueruli, quos ad me venisse et benedictionem à me consecutos fuisse contigerit. Ætate pueri, modò benedictionem eâ impetratâ, jam nunc idonei sunt regno cœlorum. Vos adulti, qui jamdiù meâ præsentiâ ac benedictione fruimini, nondùm idonei estis, sed ut idonei fiatis, et cæteri quicumque alii, æmuli reddamini oportet puerulis simplicitatis, humilitatis atque innocentiæ. Minimè itaque à meâ benedictione repellendi sunt, qui quales inpræsentiarum sunt vitæ conditione, apti sunt regno : quosque dùm aspicio seu contecto, specimen contemplor omnium electorum Dei, qui futuri sunt hæredes regni mei. Discant hic parentes, magnam gerere sollicitudinem parvulorum liberorum, quos vident Domino tam esse caros, præcipuè autem curare, ne, dùm excedunt puerilità, et innocentiâ excedant.

Vers. 17. — Amen. Explicat rationem quare dixerit talium esse regnum Dei, potiùs quàm istorum, quòd ita certò puerulorum sit regnum cœlorum, ut nullius sit qui non sit ipsis similis.

Acceperit, susceperit.

Regnum Dei sibi prædicatum. Regnum Dei recipit, qui Evangelio promittenti regnum cœlorum fidem adhibet seque ipsum subjicit. Cæterùm non de primâ solâ Evangelii receptione intelligendus est locus, sed de continuâ, ita ut sensus sit : Quisquis non adhæserit et subjectus permanserit Evangelio regni : hoc itaque loco Evangelium, id est, infallibilis regni Dei promissio, nomen habet regni Dei, metonymicè.

Sicut puer, Gr., *quasi puerulus*, tanquàm si esset ipse puerulus, vel ad puerilem simplicitatem reversus, non sensu, sed malitiâ, id est, depositâ omni malitiâ, vacuus superbiâ, pertinaciâ, avaritiâ, simulatione, irâ, vindictâ, invidiâ, detractione, luxuriâ, cæterisque vitiorum generibus, quibus consuevit adulta ætas præ tenerâ esse obnoxia, *sicut modò genitus infans rationabile sine dolo lac concupiscens ;* sic explicat Petrus, 1 epist. 2, v. 1, 2.

Non intrabit, post hujus vitæ finem : in Græco, conduplicata negatio vim addit futuri, aut certè modi potentialis :

In illud, scilicet regnum Dei, id est, vitam æternam beatamque, Evangelio promissam. Gravissima Jesus sententia et verissima, re conveniens (quanquàm plura fortassè complexa) cum illâ Matth. 18, v. 3 : *Amen dico vobis, nisi conversi fueritis et efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum cœlorum.*

Vers. 18. — Princeps, primariæ auctoritatis vir, tum ob divitias, tum ob probitatem, fortè etiam ob generis claritatem et primatum aliquem.

Magister bone. Hujusmodi elogiis et blanditiis salutari solent sapientes Hebræorum à discipulis, captandæ benevolentiæ causâ. Significabat itaque hâc præfatione se Jesu doctrinam libenter velle amplecti.

Vitam æternam, vitam æternè beatam (nam quæ æternè misera est mors esse censetur, non vita), regnum cœlorum quod tu prædicas et promittis. Utilissima quæstio præ se ferens conjunctam eam obediendi promptitudinem quam desideres. « Audierat, credo, « ait venerabilis Beda in Marcum, audierat iste quæsi- « tor vitæ æternæ à Domino, tantùm eos qui parvulo- « rum sint similes dignos esse introitu regni cœlestis ; « atque ideò curam gerens tractatûs certioris, poscit « sibi, non per parabolas, sed apertè exponi quibus « operum meritis vitam æternam consequi possit. »

Vers. 19. — Bonus, cujus natura sit bonitas, absoluta, perfecta, independens, immutabilis, fons atque origo omnis ejus quæ alibi reperiatur bonitatis.

Nisi solus Deus. Ille solus laudari meretur ut perfectè bonus, et ab illo solo petendum est omne bonum, illud signanter quo ad vitam æternam perveniatur, quod, absque illo, ut à nullo magistro doceri, ita à nullo discipulo præstari potest. Mens erat adolescentis quàm posset honorificentissimo titulo ornare Christum, quò ejus iniret gratiam ; nec tamen aliud quàm bonum boni magistrum seu doctorem appellabat, nihil ultra nudum hominem de illo sentiens. Jesus volens adolescentem studiosum salutis suæ ad perfectam in se fidem tacitè adducere, et illius ac præsentium discipulorum suorum mentes erigere, ut ipsum agnoscerent Deum, dicit solum Deum esse bonum, tacitè inferens se Deum esse si magister bonus sit, rectèque adolescentem dicere, si quod dicit intelligit ; dicit, inquam, solum Deum esse bonum, qui scilicet ipse sit cum Patre et Spiritu sancto, cui collati homines laudem bonitatis non mereantur, et à quo solo proficiscatur cùm doctrina bona, tùm opus omne bonum. *Non enim bonitatis testimonium renuit,* ait Hieronymus, *sed magistri absque Deo exclusit errorem.* Inter alia itaque, ad fidem doctrinæ habendam submonetur adolescens, qui, tametsi aliquo credendi obediendique affectu imbutus accesserat, vult tamen eum Christus altiùs conscendere, ut Deum ipsum esse credat, ipsique ut Deo obediat, cui propria est laus boni, ejusmodi quæ non debeat referri in alium, vel alterius servire laudi.

Vers. 20. — Mandata Dei ; obedias præceptis Dei solius boni. Præcepta Dei viam monstrant ad vitam, docent bonum quod faciendum est ad consequendum vitam æternam. Illorum custodia virum puerulo similem reddit et aptum regno cœlorum. *Mandata* autem dicit, non aliqua tantùm, sed omnia proculdubio. Observa adversùs hæreticos, Evangelium non esse nudam et absolutam promissionem vitæ æternæ, sine conditione observationis mandatorum Dei, nisi quatenùs, quòd D. Prosper docet, et ipsa mandatorum Dei observatio Evangelio promittitur. Porrò ut est necessaria observatio mandatorum Dei ad obtinendum vitam, ita est et sufficiens ; quamvis non ea cognoscere sufficiat ad hoc ut valeas observare, sed fide et gratiâ opus sit mediatoris.

Vers. 21. — Hæc omnia et cætera Decalogi man-

data. Noverat adolescens neutiquàm sufficere ut aliqua, nisi omnia mandata servarentur.

Custodivi, hactenùs pro virili.

A juventute mea. Juventutis nomine pueritia intelligitur : quemadmodùm Syrus vertit, *à pueritiâ meâ :* nam adolescentis juventus alia esse non potuit quàm pueritia, cùm juventus propriè accepta supra adolescentiam sit. Ab incunte ætate, ex quo cœpi uti ratione, cavi pro viribus ne quod Dei mandatum transgrederer. Rarum juventutis exemplum, observâsse præcepta Dei. Nam etsi non omni fortassis ex parte illud verum esset, tamen non arroganti, sed simplici ac proficiendi studioso animo dixit : nec minùs ipsi concedi potest, quàm quòd juxta vulgarem scribarum interpretationem mandata servârit, nullo cuiquam damno illato, et vulgaribus charitatis officiis exhibitis, probus bonæque indolis adolescens.

Vers. 22. Deest, ut sis perfectus, quemadmodùm explicat Matthæus.

Vende. Proponit Jesus adolescenti, paupertatis spiritu sive voluntariæ, cujus alibi proprium præmium esse definivit regnum cœlorum, absolutissimam formam, ut, vel amplectatur illam vel intelligat quid vitii in se lateat, amor scilicet divitiarum. Nota alia mandata seu præcepta esse, quorum observatio necessaria sit ad vitam seu salutem obtinendam ; alia consilia, quorum observatio, tum ad hujus, tum ad æternæ vitæ gradum perfectiorem adducat ex quibus sit facultatum alienatio : eam proinde consulit ad perfectionem, non præcipit ut necessariam ad salutem, interprete etiam apostolo Petro, Act. 5, v. 4. Cæterùm non in ipsâ divitiarum alienatione propriè consistit vitæ perfectio, sed in sequelâ Christi, in exactissimâ mandatorum Dei, ac præsertim duorum illorum charitatis, in quibus tota lex pendet et prophetæ, observatione : ad quam quidem momentum magnum affert divitiarum projectio. Si vis, inquit, ad perfectionem eniti, et exactam puerilem simplicitatem obtinere, quæ proxima sit regno Dei subeundo, ut, omni non solùm ambitione, sed et cupiditate liber, Deo te permittas totum ; *vende*, magno constantique animo. Hoc iis dicitur, qui res suas in suâ habent potestate : aliis dicitur *desere.*

Quæcunque habes, id est, facultates et bona tua. Hæc curâ sui retardant vitæ accipiendæ facultatem, tibique vehementer impedimento sunt, non quòd in se mala sint, sed quòd facile sit illis plus æquo adhærere.

Da, pretia accepta distribue, non paulatim, sed simul et semel, ita ut, semel omnibus divitiarum oneribus, curis atque affectibus expeditus, nudus remaneas. Hic summus est perfectionis gradus in hoc genere virtutis : *nam paulatim fractus possessionum suarum pauperibus dividere, secundus aut tertius gradus est; quem et nos recipimus* (ait, libri adversùs Vigilantium capite 5, Hieronymus), *dummodò sciamus prima secundis et tertiis præferenda. Da,* inquit, non divitibus consanguineis, ne non tam abs te abjecisse quàm apud illos recondidisse judiceris, sed pauperibus, qui brevi consumpturi sunt in necessarios vitæ usus, nec habent quod retribuant. Non quovis modo abjici aut dissipari suadet bona, sed ita ut utilitatis afferant pauperibus aliquid, quorum duram mitigent inopiam ; tibi plurimùm, qui divitiarum contemptum liberalitatis virtute cumules. Cæteroqui enim, divitias abjicere, virtus non est, sed vana potiùs ambitio. Aptè suadetur occulto amatori divitiarum manifestus divitiarum contemptus.

Et habebis. Quare non tuæ tibi peribunt divitiæ, ne fortè id metuas ; sed fiet, ut loco thesauri quem dispensas in terrâ, colligas tibi ipse et recondas.

Thesaurum longè pretiosiorem, cui collatus tuus ille nihil sit, amplissimum, inquam, solidorum ac meritò diligendorum bonorum acervum, quem servatis divitiis non sis habiturus, qui tutissimè tibi asservetur certissimèque te maneat.

In cœlo, Deo illum tibi parante asservanteque, qui sibi à te putat præstitum quod feceris pauperibus. *Fœneratur Domino, qui miseretur pauperis,* inquit Sapiens, Prov. 19, v. 17. Proprium præmium rerum in pauperum usus dispersarum est thesaurus in cœlo, dùm *jacturâ terrenæ substantiæ*, quod ait Hilarius, *cœlorum opes emuntur ;* nec quævis illæ, sed summæ, sublimissimæ, ac copiosissimæ. Hoc autem tanquàm parenthesin interjicit sententiæ suæ Salvator, quò leniat ejus quod exigit operis asperitatem. « Quoniam, « inquit Chrysostomus, cùm magna illi cura de pecu- « niis esset, cunctis ipsum denudari rebus consulebat, « ut ostendat non amissurum bona sua, sed tantò « plura majoraque inventurum, quantò cœlum terrâ « præstabilius est ; retributionis præstantiam thesau- « rum appellavit, simul et abundantiam et stabilitatem « atque incorruptibilitatem præmii, ut fieri poterat, « humano verbo signanter exprimens. Quare non « putemus, quod ait è sanctis quidam, si mundum « despexerimus, grandia nos abdicâsse, cùm tota terrâ « cœli comparatione sit brevissima ; nec etiamsi toti « terræ dominantes ei abrenuntiaremus, dignum quid « esset comparatione regni cœlorum. »

Et veni, pauper terrenis rebus (te enim quæro, non tua), liber curis, spe omni seculi abjectâ.

Sequere me, vitæ ducem atque auctorem ; individuâ vitæ societate mihi adhæreto pauperem agenti vitam, et observato imitatorque doctrinam et vitam meam, contemptum divitiarum, paupertatem, patientiam, humilitatem, castitatem et virtutes cæteras, eriscque discipulus meus non vulgaris, sed consummatus. Hâc oratione significabat Jesus respiciendum ad se tanquàm verum ducem ad vitam regnumque Dei, in cujus sequelâ seu imitatione potissimùm consisteret vitæ perfectio. Ipse, qui perfectissimè omnium dilexit Deum et proximos, totius perfectionis exemplar est, ita ut quò quis ad ipsius vitam propiùs accedit, integriùsque diligit Deum et proximum, eò sit perfectior. Ut autem ad sequendum proximè Christum adducaris, plurimùm juvat omnibus mundi divitiis se expedivisse, rarusque assequitur perfectionem qui id non

fecerit : quandoquidem divitiæ plurima secum afferant, non tantùm perfectionis, sed et salutis impedimenta, quod quidem Christus versibus proximis declarat. Divitiæ, cùm ad fiduciam ac amorem sui animum possidentis trahant, et teneant variis affectibus curisque vitiosis obnoxium, mirum in modum præpediunt liberam charitatis actionem. At pauperis et signanter ejus qui divitias spontè Dei causâ dispersit, animus, à terrenarum rerum fiduciâ amoreque abstractus, liberè fertur ad diligendum Deum, à cujus totus providentiâ pendet, totum se permittens Deo, rejiciensque in divinam Providentiam, relictâ cogitatione rerum humanarum. Nec enim semel reliquisse divitias sufficit, sed neque ampliùs quærendæ aut concupiscendæ sunt, si perfectus pauperem sequeris Jesum ; nam cupiditate irrequietus animus vacare totus nequit amando Deo. Quare Augustinus quæstione 36 inter 83 : « Charitatis, inquit, venenum « est spes adipiscendorum aut retinendorum temporalium. Nutrimentum ejus et imminutio cupiditatis, « perfectio, nulla cupiditas. » Quod cùm ita sit, cùm nolit, inquam, Jesus redire ad opes mundi cum qui semel Dei causâ opes reliquerit, sed abjicere eum velit etiam eas quas habere possit, omne, inquam, ditescendi desiderium, haud obscurè hic, non paupertatem tantùm, sed et paupertatis votum suadet.

Vers. 23. — Contristatus est, tacitus ac mœrens, dejectus animo. Non indignatus est, non obmurmuravit, non derisit sermonem Jesu, quod Pharisæi, Luc. 16, v. 14 (venerat enim discendi obtemperandique animo), sed contristatus est. Jam alacrem ac paratum se declaraverat facere quidquid tandem requireret Jesus ad assequendam etiam vitæ perfectionem, quam facilè quoque desiderabat ; sed audiens se moneri ut divitias abjiciat, rem judicat duriorem et graviorem præscribi quàm ut ipse præstare queat ; itaque fit tristis et abit, tum quòd desperaret se posse hunc perfectionis gradum conscendere, tum quòd verecundiâ afficeretur, non respondens ei promptitudini obsequendi doctrinæ Jesu quam mox præ se tulerat.

Dives erat valde. Redditur ratio quare tristis abierit. « Non pariter certè, ait Chrysostomus, hâc « passione opprimuntur, qui pauca possident, et qui « magnâ rerum copiâ obruuntur. » Et Victor Antiochenus in Marcum : « Non tantâ vi detinentur, ne- « que tantâ potentiâ à perfectionis studio abstrahun- « tur, qui pauca in bonis habent atque illi qui magnâ « opum copiâ affluunt. » Si res huic fuisset angusta domi et curta supellex, ut Petro, Andreæ et filiis Zebedæi, cùm non deessent ipsi semina pietatis, non minùs facilè fortassis vocantem Jesum secutus fuisset atque illi. Habebat igitur hic bona seu facultates multas, quas scilicet, cùm in eis collocaret fiduciam suam, impensè diligebat, nec commutare paratus erat cum thesauro cœlesti. Nam quod B. Augustinus annotat, epistolâ 34, arctissimè diliguntur divitiæ acquisitæ, longè etiam magis quàm concupitæ ; eòque arctius ac tenacius est vinculum, quo divitiæ sunt ampliores. Hic itaque manifestum factum est quid adolescenti defuerit, quid vitii latuerit in ipsius animo, quo, si non ab omnimodâ, certè à perfectâ, ad quam videbatur aspirare, adeòque à facili mandatorum observatione præpediebatur. Cùm enim divitias bonaque plurima haberet, durum censebat illis omnibus se exuere, semel universa relinquere, et pauperem adhærere pauperi Jesu. Quanquàm verò non id ipsi absolutè præcepisset Jesus, sed duntaxat si perfectus esse vellet ; ita tamen attonitus est eo consilio audito, ut mox, tristis quidem, sed tamen reliquerit Jesum, veritus ne pluribus ad divitiarum projectionem aut contemptum conaretur ipsum Jesus pertrahere. « Cùm magnâ, inquit Chrysostomus, Chri- « stum lætitiâ adiisset, ita suffossus atque obrutus fuit, « quia ejiciendam pecuniam esse audivit, ut nec re- « spondere quidem potuerit, sed tristis ac mœstitiâ « pressus discesserit. » Cæterùm non dicitur detrectâsse eum servare mandata, ut haberet vitam æternam, quemadmodùm an non reversus aliquando postea fuerit ad Christi scholam, factus unus ex ejus discipulis, si non perfectissimis illis, qui reipsâ, at mediocribus, qui affectione divitias projiciunt, incertum est ; nisi fortè, cum ætate crescens, ut solet, divitiarum amor, tandem ipsum penitùs obruerit.

Vers. 24. — Jesus, videns adolescentem abire mœstum, proposuit illum discipulis suis, quibus hoc spectaculum ediderat, exemplar divitum omnium, quò intelligerent discipuli, quàm esset divitum conditio periculis salutis plena, quàmque tuta ipsorum qui spontè pauperes vivebant. Volebat enim animadverti, illo juvenis, cæterà boni, sed divitis, exemplo, quantò tutior sit pauperum conditio quàm divitum, quàmque expeditior ad regnum Dei petendum, quò forent admoniti discipuli recti consilii et propositi ab ipsis susceptâ qui paupertatem amplexi fuerant, ne quando, aut tæderet eos suæ paupertatis, aut divitiarum amore caperentur.

Quam difficile qui pecunias habent, qui abundant terrenis opibus, pecuniis, agris, possessionibus : quò majores divitiæ, eò major difficultas. Si porrò dives difficilè ; raptor, fur, avarus, nullo modo. Non dicit impossibile esse, sed difficile : nam quod difficile est, id quamvis plerùmque non fiat, fit tamen aliquando, sed cum labore. Difficile itaque est, tum quia rarum est, quod annotant Hilarius et Hieronymus, tum quia non sine labore, quod Beda in Marcum : nascitur autem raritas ex labore.

Regnum Dei vitam æternam. Difficulter enim persuaderi potest dives ut relinquat divitias ; divitiæ autem retentæ difficilem reddunt viam ad regnum cœlorum. Non excludit Jesus adolescentem illum regno cœlorum aut vitâ æternâ, si modò mandata servaverit ; sed difficile ipsi esse docet, et cæteris omnibus divitibus, retentis divitiis, mandata servare, ac proinde etiam assequi regnum Dei seu vitam æternam ; subindicans consilium quòd adolescenti dederat abjiciendi divitias, non tantùm ad virtutum perfectionem et thesaurum cœlestem adipiscendum valere, verùm

etiam ad faciliùs et servandum mandata et obtinendum regnum cœleste seu vitam æternam. Difficile quidem et arduum est omnis generis hominibus, in militiâ hujus vitæ versantibus, obtinere victoriam et mereri regnum cœlorum, sed peculiariter divitibus : nihil enim est quod perinde à regno Dei abstrahat ac divitiæ. Nam præterquàm quòd divitiæ plerùmque teneant possessores sui variis vitiorum affectibus obnoxios, superbiæ, ambitionis, luxuriæ, gulæ, aliisque, hoc habent singulare, quòd corruptum hominis animum facilè à Deo avocent et ad sui fiduciam atque amorem pelliciant. Certum est quidem divitias per se malas non esse, neque nobis suâ naturâ impedimento esse quo minùs serviamus Deo (alioqui culpa in ipsum auctorem redundaret), sed impedimentum est ex vitio naturæ nostræ, dùm corrupta hominis mens, defectionis à Deo ansam ex illis accipit rebus per se bonis. In confesso est nullâ re magis Deum ab homine coli, quàm si fiduciam suam omnem in ipso collocet, et totius in ipsum cordis amore feratur ; atque divitibus proprium est, Deo, quem non vident, quàmque sibi faveat nesciunt, neglecto, thesauris divitiisque, quas vident et putant se in manibus potestateque habere, suo addictas usui, si quæ ingruat necessitas famis, belli, aliave, aut quâvis re egeant, fidere, illarumque ope mala omnia à se superanda et bona acquirenda sperare (quod quidem vitii frequentissimè in sacris litteris divitibus improperatur, Psal. 48, v. 7, et 51, v. 9, etc.), ac proinde beatos se illis ducere, ardenter illas amare, sollicitè servare, non facilè de thesauro diminuere, augere potiùs sitibundè per fas et nefas, et nunquàm justo plus adesse posse arbitrari, tanquàm eò certiùs solidiùsque consistant quò largior copia suppetat. Hoc proprium est divitum ingenium, à quo pauci vel nulli omninò immunes sunt. *Beatus dives*, ait Ecclesiasticus cap. 31, v. 8, *qui inventus est sine maculâ, et qui post aurum non abiit, nec speravit in pecuniæ thesauris : quis est hic et laudabimus eum ?* q. d. : Rarus vel nullus est dives hâc laude dignus, ut hoc præstiterit in vitâ suâ. Quare et Apostolus, 1 Tim. 6, v. 17, moneri jubet *divites hujus seculi ne sperent in incerto divitiarum, sed in Deo vivo*, etc. Ob hanc igitur causam difficile esse Salvator docet divitem intrare in regnum cœlorum, quia difficile est divitem non subjacere vitiis istis quibus manifestum est excludi hominem à regno cœlorum. *Rem seculi*, ait B. Hilarius, *famulatus Dei non sine seculi vitiis assequitur*. Docemur itaque raros esse divites qui his vitiis non subjaceant, ac qui proinde non excludantur regno cœlorum ; eos verò qui non subjaceant, laboriosè colluctari, nec tamen unquàm prorsùs immunes esse, ac proinde, quamvis magnis sudoribus, non eum in regno cœlorum assequi locum quem pauperes, quorum, cùm nihil possideant hujus seculi, facilè spes tota fiduciaque est Dominus Deus.

Vers. 25. — Facilius, Græcè, *levioris laboris*.

Camelum, animal vastum, gibbosum, et tortuosum. Erat illud apud Judæos vulgare, ac proinde notissimum auditoribus Jesu.

Per foramen acus, sartoriæ, per foramen quod habet aut quod facit acus, minimum illud atque hujusmodi per quod vix subtilissimum filum adhibitâ oculorum acie transmitti potest.

Transire, hominis operâ. Proverbialis ista oratio invenitur et à veteribus Judæorum magistris non semel usurpata, ad res impossibiles vel summè difficiles significandum.

Intrare in regnum Dei, promereri, assequi vitam æternam. Itaque, vulgari adagio adhibito, Jesus sermonem amplificans, non tantùm difficile esse, sed et impossibile asseverat, divitem intrare in regnum cœlorum, insigniter reprimens divitum arrogantiam, qui, cùm se quidvis suis opibus posse præsumant, quod præcipuum est minimè possint, imò totius impedimenta salutis ex opibus patiantur. Quomodò verò jam impossibile dicat, quod mox non nisi difficile dixit, explicat vers. subsequenti. Cæterùm quòd comparativo *facilius* utitur, non intelligit impossibili magis impossibile esse, sed hyperbole est in hujusmodi loquendi generibus usu recepta, quale est illud de iis inter quos insanabile dissidium est : *Priùs ovem lupus ducat uxorem*, et pleraque alia similia. Porrò non ineleganter, dives turgens ac tumens opibus, cujus dorso longæ latæque divitiarum sarcinæ incumbunt, quæ frequenter oneri sunt ipsi magis quàm usui, ut quas bajulet aliis potiùs quàm sibi, camelo comparatur, et angusta porta, quâ intratur ad vitam, foramini acûs, ut intelligas eos quibus divitiæ affluunt superbiâ fastuque magis turgere, quàm ut se ad angustias, in quibus Deus continet suos, redigi sinant. His itaque duobus versibus docet Jesus, divitias hominibus majori noxæ quàm lucro esse, adeòque nihil esse quod tantum impedimentum afferat ducendæ vitæ Deo dignæ, et assequendo regno cœlorum ; ac proinde dilucidam exponit rationem consilii sui adolescenti dati, vendendi omnia ac dandi pauperibus ; quin et rationem instituti sui, quo cum discipulis suis ipse pauper vivebat, ne illi pudori sibi esse paupertatem putarent, scirent contra esse saluti, et quidem salutis perfectioni.

Vers. 26. — Potest salvus fieri ? Observandum est discipulis idem esse salvum fieri, quod Jesu intrare in regnum cœlorum ; quemadmodùm Jesu idem est regnum cœlorum, quod adolescenti vita æterna. Cœperant jam apostoli, exemplo pietatis accepto à Domino, non pro suâ ipsorum tantùm, sed et pro aliorum salute curam animo gerere, et præceptorum assumere viscera, doleresque plurimùm de interitu hominum ; idcircò quamvis ipsi pauperes essent, nec divitias ullas affectarent, contenti Dei Christique providentiâ, tamen pro aliis solliciti, dicunt : Si impossibile est divites, cæterà probos, nisi relictis divitiis, assequi regnum cœlorum ; quis ergo hominum salvabitur, cùm rarus aut nullus sit dives qui divitias abjiciat, contra potiùs qui divites non sunt, omnes divites esse optent atque laborent (videtur certè idem animi morbus esse, niti divitiis quas habeas, et desiderare quas non habeas), et si divitiæ impedimentum